



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644


Concilivm Mosomense, Qvo Eiecto Gerberto Arnvlphvs sedi suae
restituitur anno Christi DCCCCXCV. tempore Ioannis papae XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
995.

- Benedictus episcopus sanctæ Pipernensis ecclesiæ confensi.
- Dominicus episcopus sanctæ Ferentinæ ecclesiæ confensi.
- Crescentius episcopus sanctæ Siluæ candidæ ecclesiæ confensi.
- Anniso episcopus sanctæ Cerensis ecclesiæ confensi.
- Bonizo archipresbyter & cardinalis sanctæ Luciae confensi.
- Benedictus presbyter & cardinalis sancti Stephani confensi.
- Leo presbyter & cardinalis sancti Nerei confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sancti Damasi confensi.
- Leo presbyter & cardinalis sancti Sixti confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum apostolorum confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sanctorum quatuor Coronatorum confensi.
- Ioannes presbyter & cardinalis sancti Clementis confensi.
- Crescentius presbyter & cardinalis sancti Callisti confensi.
- Benedictus archidiaconus.
- Ioannes diaconus & oblationarius.
- Benedictus diaconus.
- Ioannes diaconus. Hi omnes consenserunt & subscripserunt.

Data tertio * Kalendas Februarii per manum Ioannis *Notar
episcopi sanctæ Nepefinæ ecclesiæ, & bibliothecarii san-
ctæ sedis apostolicæ, anno pontificatus domini nostri
Ioannis sanctissimi papæ XV. octauo, mense dicto, & in-
dictione sexta.



CONCILIVM MOSOMENSE,
QVO EIECTO GERBERTO ARNVLPHVS
sedi suæ restituitur anno Christi DCCCCXV. tempore
Ioannis papæ XV.

ANNO
CHRISTI
995.

NOTA.

Mosomum * *Concilium.*] Mosomum est opidum Gallia Belgicæ, Rhemenfi me-
tropoli subiectum, hodie priscum nomen retinens. *Hoc loco*, inquit
Papirius Massonus lib. 3. annalium Francorum, *Leo Roma in mona-*
sterio sancti Bonifacii abbas, & sedis apostolicæ legatus, Synodum congre-
gavit, anno 995. indictione octaua, 1 V. Nonas Iunii, in qua Gerbertus,
Acta Con- *qui exauctorato Arnulpho susceptus erat, patientissime auditus est.* In hac
cillii. Synodo Gerbertus etiam inter cetera proluxa quadam oratione, quæ
reperitur in prænominato Gerberti libello, Arnulphi depositionem
suique inuiti ordinationem iuste factam defendit. Leo autem sedis
apostolicæ legatus eidem haud dubie multum contradixit, accepta-
que Gerberti oratiuncula, aliam Synodum Kalendis Iunii Rhemis
habendam denuntiat. Interim monachum suum idem legatus ad
reges Francorum duci iubet, & per episcopos Gerberto mandat

ANNO CHRISTI 995
 vt a diuino officio vsque ad denuntiatam Synodum abstineat. Hæc ex Papirio, qui sedis Rhemensis inuafori Gerberto immerito fuit, Baronius anno 995.

Non caret fraude, quod nouatores ediderint omnia illa quæ Gerbertus pro se dixit vel scripsit: quæ autem contra ipsum in hac Synodo Leo apostolicæ sedis legatus copiosissime disputauit, quæque inter acta Rhemensium episcoporum fuisse recondita Aimoinus verbis infra recitandis testatur, nequaquam ediderint.

Nouatores imposturæ infimulantur.

CONCILIVM RHEMENSE,
 QVO PER LEONEM SEDIS APOSTOLICÆ
 legatum Arnulphus Gerberto deposito Rhemensis ecclesie restituitur, anno Domini DCCCXCV. tempore Ioannis papæ XV.

NOTA.

^a *Concilium.*] Hæc est illa vera & legitima Synodus Rhemensis, qua acta præcedentis Pseudosynodi auctoritate apostolica improbantur & plane annullantur. Quid in ea gestum fuerit, in appendice Aimoini narratur his verbis: *Nuntiantur hac omnia* (de quibus supra præcedenti Conciliabulo Rhemensis) *præsuli Romano, qui valde indignatus super hoc facto interdixit sacris omnibus episcopis qui Arnulphum deiecerant & Gerbertum ordinauerant. Misit quoque Leonem abbatem a sede apostolica ad dominum Seguinum archiepiscopum vrbis Senonica, qui vice sua in vrbe Rhemensis Synodum congregaret, mandans illi vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in vrbe Rhemensis, ex iussione apostolica reuocatus est Arnulphus de custodia, & cum honore magno receptus in propria sede. Gerbertus autem intelligens quod iniuste pontificalem suscepisset dignitatem, pœnitentia ductus est. Altercationem vero Gerberti pontificis & Leonis abbatis valde vtilem plenius inuenies in gestis pontificum Rhemorum.* Hæc de actis huius Synodi Aimoini appendix. Libellus Gerberti refert quod in hac Synodo episcopi illi, qui Arnulphum sede sua eiecerant, dixerint in totius regni discrimine nihil melius & vtilius fieri potuisse, quam vt tyranno excluso pastor aliquis populo & regno vtilis constitueretur. Cumque a Leone arguerentur, quod illud sine sedis apostolicæ auctoritate fecissent, respondebant binas hac de re legationes Romam missas, non fuisse auditas ideo, quia Crescentium palatii custodem nullo munere corrupissent, nihilque (quod falsum esse constat ex verbis Aimoini supra in Pseudosynodo Rhemensis recitatis) sine consensu & auctoritate Seguini Senonensis archiepiscopi sedisque apostolicæ legati peregisse. Plura hac de re Baronius anno 992. & 995. &c.

Acta Synodi Rhemensis legitimæ quæ?

Quid in Synodo Gerberti fautores dixerint.